



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

XV. De rebus ecclesiasticis gubernandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

## XV.

Quæ sunt ecclesiæ, conseruari cum omni diligentia & bona conscientia & fide Dei, qui omnia videt & iudicat, gubernari ergo oportet cum iudicio & potestate episcopi, cui etiam omnis populus & congregatio commissa est animarum. Manifesta autem debent esse quæ ad ecclesiam pertinent, in conscientia eorum qui circa episcopos sunt, presbyteros & diaconos, vt hi omnes sciant quæ sunt ecclesiæ propria: vt, si episcopo contigerit transitus, nihil eos latere possit ex his quæ ad ecclesiam pertinent, vt nullo modo possint minui & perire. Neque res propriæ episcopi debent importunitatem pro rebus ecclesiæ pati. Dignum re vera, & iustum est apud Deum & homines, vt ea quæ episcopi propria sunt, cui voluerit, derelinquat, & neque ecclesiam perpeti damnum, neque episcopum pro rebus ecclesiæ condemnari, aut post eius obitum in causas quæ ad eum non pertinent, aut in maledictum incidere.

12. qu. 1. C.  
manifesta,  
ex Can. 4.  
Concili  
Antioch.

## XVI.

Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, vt dispenset necessitatem habentibus cum omni reuerentia & timore Dei: participare etiam eum oportet quæ necessaria sunt; si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquid; vt necessitatem nullo modo patiantur, secundum sanctum Apostolum dicentem: *Victu & tegumento, his contenti sumus.* Si autem res ecclesiasticas episcopi in suas voluntates vsurpare voluerint, & \* lucra ecclesiæ, vel fructus agrorum, non cum presbytero-

Ex Concil.  
Antioch.  
Can. 25.

1. Tim. 6.

\* loca